



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput III. Horae canonicæ a quibus, & quomodo sint dicendæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

Horæ canonicæ a quibus, & quomodo. &c. 455

mus. Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem (Marc. II.).
6. Humilitas & submissio vultu & gestu sunt quam maxime exhibendæ. Christiano denique more, non alio superstitioso, orare Christianus debet.

Nædum pro amicis; sed & pro inimicis orare christiani hominis officium est. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos (Matth. 5.)*. Ita Christus suos hortabatur; hancque suam doctrinam glorioso exemplo munivit, cum in cruce positus Patrem pro crucifixoribus rogavit. Pro Regibus præprimis, & Ecclesiæ Re-ctoribus ut fideles orent, sanctus Paulus præcepit (1. Tim. 2.). Pro hæreticorum, ac infidelium conversione, animarum purgantium a penis liberatione preces, & sacrificia offerre communis in Ecclesia mos est, cujus pietatem, pariter & utilitatem Theologi dogmatici probant, ac fidelibus commendant.

C A P U T III.

Horæ canonicæ a quibus, & quomodo sint dicendæ.

Apostoli, hisque coævi Christiani statis diei horis communes ad orationes convenerunt. Temporis lapsu sicut caritas, ita & iste orandi fervor refriguit. Laicis ad alia distractis solummodo apud viros ecclesiasticos, ac Ægypti præprimis monachos antiqua sæpius per diem Deo pfallendi consuetudo perstitit. Pii Principes,

Nobilesque alii, ne fortuito etiam apud Ecclesiasticos continuæ Dei laudes deficerent, fundos ingentesque pecunias, ad alendis ejusmodi Dei servis destinaverunt: erecta sunt Beneficia, fundati Canonicatus, auctæ Præbendæ eo pacto, ut viri hisce præbendati certis quotidie persolvendis præcibus manerent adstricti. Preces istæ, quia juxta præscriptas ab Ecclesia regulas dispositæ, *horæ canonicæ*, *pensum canonicum*, & *Breviarium*, seu laudis divinæ, ac totius horæ instructionis compendium vocantur (a).

(a) Horæ itaque canonicæ vocales quædam preces sunt, quas juxta sacrorum Canonum, ac Romanæ Pontificum præscriptum per singulos dies petere vere viri Ecclesiastici tenent. In quantum preces sunt, mentis elevationem; in quantum vocales oris adminiculum exigunt. Nonnulli solam recitationem mentalem sufficere putarunt, quorum opinionem Suarez ut improbabilem, Concina velut falsam rejicit; eoquod Capitulum dolentes, & communi sensui aperte repugnant. Patres Salmanticenses (*Tract. 16. cap. 3. par. 7. num. 51.*) Privilegium a Leone X. anno 1517 sui Pontificatus quarto, die 16. Aprilis. vivæ Reipublice Religiosis concessum producant, vi cuius *Fratres . . . illa quæ in ordinario jubentur dici in creto sub silentio, tam in horis canonicis, quam in Missa, non teneantur proferre vocaliter; sed satis faciunt dicendo mentaliter, aut legendo intra per librum . . . Et quod eodem modo possit fieri qui solum dicit officium per se; cum prolatio vocalis sit præcipue ut ab aliis intelligatur.* Ex quibus inferunt, Religiosos mentaliter totum Breviarium dicere privatim posse, hocque privilegium a S. Pio V. in Constitutione 7. confirmatum.

Tres eorum, qui dicere horas canonicas tenentur, distingui classes possunt. In prima sunt Religiosi professi, qui antequam in sacris sint constituti, nulla ecclesiastica lege; sed veterana solum consuetudine, quæ vim legis obtinuit, canonicas horas sive publice, sive privatim persolvunt. In secunda sunt Clerici sacro subdiaconatus ordine initiati, nullo licet beneficio præditi. Hique ex præcepto ecclesiastico recitare horas tenentur (*cap. 1. de celebrat. Miss.*), a quibus ne quidem excommunicati, suspensi, depositi, degradati sunt exempti; quia æquum non est, ut quis ex iniquitate sua commodum reporter. Ad classem tertiam Canonici, & Beneficiati sive simplices sive curati spectant. Et hi non solum ex lege ecclesiastica, sed etiam contractu, aut pacto saltem implicito ad dicendas horas obligantur; hinc qui Breviarium vel quoad totum, vel quoad notabilem partem ex negligentia omittunt, illius diei fructus vel omnes,

tum esse ajunt. Ast contra hoc privilegium acriter P. Concina pugnat (*Tom. 2. lib. 2. in Decal. diff. 2. §. 5.*) probatque 1. Indultum istud in forma legitima non produci. 2. In 7ma S. Pii Constitutione *Etsi mendicantium* integre percursa nec verbum de Indulto Leonis se invenisse; adeoque etsi aliquando concessum, una cum aliis vivæ vocis oraculis revocatum a Gregorio XV. & Urbano VII. fuisse. 3. Dato illud suo in robore mansisse, non generaliter de omnibus sed Religiosis solum scrupulosis, nec de toto Breviario, sed quibusdam secreto dicendis intelligendum esse ostendit. Vide si lubet.

nes, vel aliquam earum partem percipere nequeunt, eosque vel Ecclesiae, vel pauperibus erogare debent; quidquid demum nonnulli Casuistica in contrarium congerant (a).

(a) Sunt, qui Beneficii curati fructus in *mercedes* & *pastorales* dividunt: priores voluntaria Breviarii omissione amitti concedunt, posterioribus. Si hi Auctores per fructus *pastorales* illos, qui ex oblationibus, funeribus &c. *de* tim Parocho adveniunt, quosque *stolæ* proventus vocant, subintelligi volunt, non repugnabo; tamen, prout videntur, proventus fixos, ac *novos* ita distinguunt, cum nova, & a sensu Ecclesiae aliena hæc distinctio sit; non possumus non rejicere. Concilium quippe Lateranense sub Leone X. (*Sess. 9.*) statuit, ac ordinat, *quilibet* habens Beneficium cum cura vel sine cura, si divinum officium post sex menses ab obtento Beneficio non dixerit, Beneficiorum fructus non suos, cum propter officium detur Beneficium. Et S. Pius V. in sua Bulla *Ex proximo* præcipit. *Ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si dividerentur . . . amittat.* Et nec Pontifex, nec Concilium fructus prædicti modo distinguit, sed omnes diei respondentes Beneficiato curato, qui Breviarium voluntarie omittit, restituendos esse decernunt; quia beneficii fructus propter officium conceduntur. Hæc autem fructuum restitutio ante judicis sententiam fieri a Beneficiato debet. Contrarium Alexander VII. hac in propositione damnavit: *Restitutio debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis; eoquod sit pœna.* num. 20. Huic accessit

Septem communiter numerantur horæ: *Matutina* cum *Laudibus*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Vespera*, & *Completorium*. Antiquitus prædum *Matutina* a *Laudibus*, sed & primus Nocturnus a secundo, hicque a tertio separatim dicebatur: unde plures tunc universim erant horæ, ita ut antiquissimus septenarius numerus horas solummodo diurnas, seu a diluculo recitari solitas comprehenderit juxta illud Davidicum: *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psalm.* 118.). Quælibet hora notabilis Breviarii pars est, quæ gravi absque peccato negligi non potest. Idem de aliis partibus, horam unam æquantibus, ut puta, de uno Nocturno, de pluribus psalmis, imo & verbis divinum officium constituentibus &c. *judicium esto* (a).

Modum,

alia num. 33: *Resitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque elemosynas, quas Beneficiatus antea de fructibus sui Beneficii fecerit.*

(a) Ex rationabili causa *Matutinum* a *laudibus* separari, & illud præcedente; hæ subsequente die dici possunt. P. Concina etiam seclusa alia causa licitam ejusmodi separationem defendit, additque, melius illos se gerere, qui privatim horas nocturnas horas celebrarent, dimitterentque *laudum recitationem ad diluculum sequentis auroræ*, ut *hymni opportuno tempore juxta eorum sensus recitarentur* (*lib. 2. in Decalog. Diss. 2. cap. 2. Q. 6.*). Hancque sententiam communiorem inter Doctores esse ait; in fine tamen pensi *matutini collectam diei, vel etiam antiphonam ad Benedictus &c. dicendam esse monet.* Porro circa tem-

Modum, quo canonicæ horæ sunt dicende Patres in quarto Lateranensi Concilio generaliter congregati docuerunt: *Dolentes* (inquiunt) *ferimus*, quod non solum quidam minores Clerici verum etiam aliqui Ecclesiarum Prælati comesationes superfluas, & fabulationes illucidas (ut de aliis taceamus) fere medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, ad diurnum concentum avium excitantur. Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter & devote (Cap. 9. celebrat. Miss.). Studiose itaque & devote divinum dici officium debet.

Studiose divinum officium recitat, qui ordinate juxta rubricas Breviario

tempus, quo anticipari Matutinum potest, non omnes conveniunt. P. Concina cum multis illi tradit regulam: *Cum sol propius abest ab occasu quam a meridie* (quod tempore hyemali hora tertia contingit) tunc tempus incipit anticipari Matutinum. Cl. P. Schram in sua Theologia compendiata istam subjicit: *Subtracta medietate horarum pomeridianarum ab hora diei duodecima usque ad occasum solis restat tempus, quo licet matutinum & laudes anticipare. V. g. 22. Decembris numerantur horæ quatuor a meridie usque ad occasum, subtracta medietate a 4. remanet 2: erga horam secundam anticipare licet.* (Tom. 3. de Sacram. XIV. §. 1185.). Jam quod probabilius, & convenientius tibi videtur, ipsemet eligas.

III. *Horæ canonicæ a quib. & quom. Sc. 461*

fixas (a), 2. qui voce intelligibili, 3. qui voce articulata ac distincta, declinatis nempe verborum syncopationibus, syllabarum elisionibus &c. horas legit. Profecto luridos hujusmodi deblateratores audire nec viri honoratiores dignantur; & divina Majestas truncatis, confusaneis, ac plane ridiculis Ecclesiasticorum precibus aurem suam accomodet? Proh quantum Aulicorum solers studium multorum, qui Dei servos se profitentur, turpem ignaviam confundit!

Devote canonicum pensum exsolvit, qui non solum ore, sed & corde Deum laudat. Corde laudat, qui recta ex intentione, & sufficiente cum attentione orat. *Intentio* quidquam agendi volitio est, quæ hic non necessario præcepti adimplerionem, sed solam orationem pro objecto

(a) Juxta rubricas recitant, qui non solum *ritum*; sed & Calendarii tam romani, quam diocesani *Festa* observant. Fuerunt quidam (& forsan adhuc sunt) qui per quamlibet recitationem sive de Feria, sive de votivo, aut alio, ex quacunque Diocesi mutuato Festo Breviarii præcepto satisfieri existimarunt. Ast horum opinionem veluti laxam nimis, ac erroneam Alexander VII. reprobavit, dum istam num. 34. propositionem proscripsit: *In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto.* Porro ex rationabili causa eum, qui privatim horas recitat, illarum ordinem mutare posse, item, qui bona fide v. g. Matutinum de feria dixit, horas residuas de festo e. g. translato dicere cum choro, vel etiam privatim posse eruditi non minus, quam timorati docent.

Et o habere debet, uti ex iis quæ supra (pag. 310.) diximus, liquet. Attentio actus intellectus est, quo homo ad illud, quod se coram habet, advertit. Triplex a Theologis distinguitur, nimirum attentio *ad verba*, ad verborum *sensum*, ad *sensus objectum & finem*, videlicet Deum. Prima, ut sanctus Thomas docet, orationis substantiam sufficit; secunda melior, tertia optima est, ac illis, qui eam sibi familiarem fecerunt, uberem fructum affert. Attentioni diutius conservandæ, aut citius renovandæ Ecclesia, oratorium, aut aliud a domesticis, ac extraneis tumultibus remotior *locus congruus*, qui proin quantum fieri potest, quæri & adhiberi ab orante debet. Eadem quippe lex, quæ devotam Breviarii recitationem præcipit, ad removenda quoque obstacula, quæ legis adimplerionem impediunt, saltem implicite obligat (pag. 309.). Externas autem res internam mentis attentionem, & devotionem impedire, nemo non videt (a).

(a) Plures mystici variis in rebus septenarii occurrunt. Septem sancti Spiritus recensentur dona, septem Sacramenta, septem beatitudines, septem misericordiarum opera, septem præcipua dominice Passionis mysteria, quæ brevi consideratione septem canonicis horis applicata devotam earum recitationem mire promovent. Praxim Passionis mysteria septem horis accomodandi istud vulgatum ubique metrum exhibet:

*Matutina ligat Christum, qui crimina solvit.
Prima replet sputis. Causam dat Tertia mortis.
Sexta crucifigit. Latus ejus Nona bipartit.
Vespera deponit. Tumulo Completa reponit.*

Quis jam de Clericis, qui cum Breviario juxta fenestras, ad campum, aut plateam patentes, studiose se collocant; qui per atria, per stabula, per culinas, & cellaria &c. discurrunt, qui nunc fabulantur, nunc suos increpant, nunc truncatim quædam ex Breviario mussitant, quis (inquam) debitam attentionem, ac devotionem presumat. Non quidem, quid respondere soleant, nos later. Oeconomix rectam administrationem ejusmodi intercapedines exigere dicunt; at, si hi juxta citati Lateranensis Concilii præscriptum inutiles, ac nocivas confabulationes refecarent, si a somno sibi temperarent, si certum dicendo Breviario tempus destinarent, ad inanes hasce, ac frigidas haud confugerent exculationes, quas certe non attendet, qui mundum judicabit, supremus ac justus Judex (a).

Sicut

(a) Mala ista praxis ex Laxa Theoria manat, qua multi posthabita attentione interna, quæ vel sensum verborum, vel Deum, vel res divinas, vel saltem verba, qua Dei laudes continentia, pro objecto habet, attentione mere externa, quæ nempe solam materialem verborum prolationem respicit, contenti sunt. Hisce tamen P. Antoine, Concina, alique, quos hi citant, melioris notæ Theologi sese opponunt. 1. Quia ejusmodi orantes Deum non adorant in spiritu & veritate, sed labiis Deum honorant, cor autem longe est ab eo; quæ turpis simulatio est. 2. Quia præter studiosam recitationem, quæ distinctam verborum expressionem exigit, adhuc devotam cap. Dolentes præcipit. Devotio autem, prout ab hypocrysi distinguitur, non meram externam apparentiam, sed veram mentis ad divina elevationem

Sicut ab aliis humanis legibus, ita & ab illis nonnullæ causæ excusant. Has inter prima est impossibilitas physica, & moralis. Ut si quis careret Breviario, vel infirmus surdus, caecus &c. fieret; quibus tamen in casibus adhuc forte tenetur quantum potest (a). *Secunda* est metus gravis vere talis. *Tertia* concursus aliorum præcepti exempli gratia caritatis proximi. Ut dum parochus diu noctuque ovis periclitantibus succurrit, aliisque functionibus pastoralibus, quæ differri nequeunt, diem impendit. At & hic carnalis astutia nonnumquam sibi imputatur, ac sæpe caritati imputatur, quod accedens aut inordinatus sui amor fecit (b). *Quarta* est

variationem postulat. Id quod Concilium Tridentinum magis declarat, dum officium divinum reverenter, distincte & devote recitari jubet (Sess. 24. cap. 12.): Hæc autem interna attentio continua actualis esse debet, sed virtualis sufficit atque in eo datur, qui Breviarium inchoans mentem ad Deum elevat; actiones distrahentes extirpat, ipsasque distractiones clanculo se ingerentes, excutere laborat. Vid. P. Concina lib. 2. in *Decal. Diss. 2. cap. 9.* & P. Antoine Tract. de *virt. Relig. cap. 1. Quæst. V.*

- (a) Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Qui non potest recitare Matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; pars major trahit ad se minorem. num. 54.*
- (b) Fallacis astutiæ dictamina sequi videntur. 1. Quod Breviarii pensum fere quotidie ad vesperum usque omnino ad noctem usque diferunt; tuncque aegrotum vocati officio caritatis a recitandis officiis impeditos, ac liberos se credunt. 2. Quod pridie a negotiis vacui Matutinum cum Laudibus

denique dispensatio est, quam Episcopus suis Clericis, & Prælatus regularis suis Religiosis rationabili ex causa concedere solet. Simplex dispensatio rarius; discreta in aliam brevem orationem commutatio frequentius obtinetur (a).

Quæ hucusque diximus, ex ipsa orationis, ac divinæ laudis notione fluunt. Unde qui hæc respuit, jam aliam, eamque erroneam de oratione, ac ipso Deo sibi ideam effinxisse necessum est. Et tamen in catholicorum Casuistarum libris alienas adeo ab hac nostra legimus sententias, ut eas vel recensere pudeat. Unus Canonicus in choro turpiter confabulantes, absque omni interna attentione divinum officium deperantes satisfacisse putat; quia Ecclesia internam attentionem, admodum difficilem, præcipere non voluit. Quasi vero id, quod orationis natura postulat, quodque Deus ipse præcipit, adhuc ab Ecclesiæ arbitrio dependeret. Alius aut, lippis luscisque oculis hominem, si visum amittere legendo timeat, non teneri Breviarium lege-

lege-

quod die postero aliis præpeditum prævident, anticipare negligunt; cum lex eo, quo potest, tempore sit adimplenda, & iisdem sæpe ex fontibus unde commodum, inde & onus fluat.

(a) Breviarii obligatio *personalis* est; unde si dispensatio denegetur, per alium quis recitare non potest. Hinc Alexander VII. istam stigmatizavit propositionem: *Habens Capellaniam collativam aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.* Est num. 21.

Godean Theol. Mor. Pars I.

G g

legere, licet cæteroquin sæpe ac libenter fabula
 legat. Auctor alter scribit, præcepto satisfieri
 si horæ tantum diurnæ recitentur. Caramia
 probabile esse ait, vespere recitantem Marulinum
 cum Laudibus hodierno & crastino officii recitandi
 præcepto satisfacere (a). Idem asserit
 si duo simul orent, non opus esse, ut alter
 diat, & posse hunc versiculum incipere antequam
 ille suum versiculum compleverit; quia autem
 simul potest, quod ipse, & quod socius recitatur
 neque interiorem attentionem esse curandam
 quæ non necessaria censetur.

Humani ingenii infirmitatem deplorare
 sonæ hæc opiniones me cogunt, cum post peccatum
 in errores tam impios, & tam absurdos
 prolabi possit. Verum Dei judicia vehementer
 me terrent, qui personas cultui suo sacras, &
 que in Ecclesia doctores, cæteroquin probos
 tam immanes ac perniciosos errores labi per
 mittit, illosque in vulgus spargere. Tremens
 hæc judicia ego potius adorem, quam eorum
 causas curiosius inquiram.

(a) Hoc ipsum damnata ab Alexandro VII. pro
 fitio asserit: *Unico officio potest quis satisfacere
 duplici præcepto pro die præsentis & crastini
 num. 35.*

